

**Tentamen chimico-medicum de lacte / Quod ... tueri conabitur ...
Josephus-Amatus-Ambrosius Brunetiere Desrochettes.... Pro
Baccalaureatus gradu assequendo.**

Contributors

Brunetière Desrochettes, Joseph Aimé Ambroise.
Université de Montpellier.

Publication/Creation

Monspellii : Apud Joannem Martel natu majorem, 1773.]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rwnndun3>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

52996/P 265

PATRI DILECTISSIMO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. V. C.

J. A. A. BRUNETIERE DESROCHETTES.

TENTAMEN
CHIMICO-MEDICUM
DE LACTE.

Quod, Deo duce & Auspice Dei-Parâ, tueri conabitur
in Augustissimo Ludovico Medico Monspeliensi
JOSEPHUS-AMATUS-AMBROSIUS BRUNETIERE DESRO-
CHETTES Fonteniensis apud Pictones, Artium
liberalium Magister, nec-non jamdudum Medicinæ
Alumnus, die Novembris, anni 1773.

Pro Baccalaureatus gradu assequendo.

Quæ ab usu aut opinione aliena sunt, proficua licet
respuantur; atqui tamen simplicissima hæc naturæ
placuerat esse remedia paratu, ut inquit *Plinius*, &
inventa facilia... *De recondit. feb. intermitt. nat. lib.*
4. cap. 11.

PARTEM lactis physiologicam aggredi multum forsan juvaret; ut
verò hodiernis etiam temporibus tantâ caligine obruitur, absurdita-
tibusque ingemiscit secretionum systema, hanc sublimioribus in arte
ingeniis evolvendam relinquere satius est. Quinam ergò scopus? Chimi-
cum nec-non medicum,

A

348277

EXAMEN LACTIS CHIMICUM.

Triplici principio, caseoso nimirum, seroso, & oleoso pollere fluidum illud animale, nullus in dubium revocat; undè generalius sub nomine emulsionis animalis innotescit. An verò legitimus hic modus loquendi? Summa occurrit celebranda distinctio; id est, vel intelligitur quæcumque olei miscibilitas sat permanens cum vehiculo aquoso, vel corporis mucaginosi vulgaris dissolutio, quo mediante suspensum retinetur principium oleosum. Si prius, res inconcussè obtinet; si posterius, minimè; Quæ quidem ulterior assertio evidentissimo sanè innititur ratiocinio; etenim formam æqualem, pellucidam, per evaporationem sibi conciliare, nec non iterum chemicam pati dissolutionem, si ipsi menstruum affundatur aquosum, mucilaginis proprietas est generalior; porrò nonne contrarium de lacte *Hoffmanni* evincunt experimenta? Undenam verò repetendum illud discrimen? Res sanè summis tenebris obvolupta, nec non viâ quæcumque chemicâ difficillimè explicanda. Tamen repetam ex quodam animalisationis initio; undè ad naturam principii albuminosi magis accedens, viam dissolutionis in menstruis aquosis pari gradu renuere debet. Quis verò huic assertioni adversari posset, ab acidis haud multum concentratis solubile corpus albuminosum, coagulabile contra caseosum conclamans; sed quid indè? Caseum partem inter mucaginosam & albuminosam medium tantum obtinere; cui integrè adhæremus. Quomodo autem hæc substantia in sero coexistit caseosa? An sub forma summæ solummodo divisionis, ut auctor *Dictionarii Chimici* protulit? Hæc sanè nullo nobis fundamento inniti videtur propositio: etenim corpora quibuscum adhæsiōnem conciliare repugnant apposita, gravitatem specificam, aut minorem, aut majorem, vel tandem æqualem possident; si primum, superficiem (ut de oleo v. g. saponis per acida decompositio, aut per aquas seleniticas, argumentum est manifestissimum); si secundum, fundum necessariò (ut præcipitationibus quotidianis innotescit) petere debent; porrò ut in capite mortuo casei destillati summâ quantitate principium redundat terrosum, nonne à mammis animalis extracto lacte, ad fundum breviori tempore vergere deberet? Forsan divisionis particeps adhuc urgere posset; majorem caseosæ partis gravitatem specificam pro nihilo esse habendam asserens, in eo quod, ipsum inter & oleum quodam vigente connubio, realis fiat compensatio per minorem olei gravitatem unde perfectum enascitur æquilibrium (ut propè calcis metallicæ gravitatem specificam auctam explicare tentavit *celeberrimus hujusce Ludovici Professor D. Venel*). Hæc verò objectio, etsi ingeniosa, subito evanescit: tenim coexistente isto æquilibrio, oleum ad superficiem innatans nunquam manifestaretur; aut disrupto, citò viam præcipitationis sibi conciliaret portio caseosa; quæ duæ experientiæ contradicunt. Argumentum ergò manifestissimum dissolutionis cujusdam casei in portione lactis serosâ. Equidem tamen fateor, & per facta aliundè



fateri coactus, non requè facile dissolutionem percipere caseum, ac mucago vulgaris semel per evaporationem obtentus; sed in primæ assertionis de hujus substantiæ naturâ gratiam illud mihi redundare videtur; variaque experimenta de calce, ut terris selenitosis, cuilibet obvia meæ opinionis tanquam inconcussum habenda sunt complementum. Nunc paucis quæ de portione caseosâ nobis dicenda occurrebant absolvimus, de ipsius productorum per destillationem quandam subjicientes animadversionem: nimirum, quibusdam asserentibus, acidum, alteros juxta alcali volatile obtinetur. Istud phœnomenum, si totidem locum haberet, ex majori, minorive animalisationis gradu, sat benè forsan deduci valeret; siquidem mucagine destillationi subjecto, manifestatur acidum; alcali contra volatile, si de principio albuminoso res se habeat. Ut verò clarissimus Rang, *Dissert. Med. de optim. infant. recens nati alimento*, D. Macquer, omninò adverstatur; siquidem asserit quod ex analysi chemicâ casei spiritus evidentissimè urinosos, tales nimirum quales omnes animalium partes præbere solent, semper obtinuerit, illius menti adhærere non dubitarem, ni obstaret quod refert D. Thouvenel, nempe quod in casei recentis & purissimi destillatione, licèt fetidissimos & acidis cicurandos spiritus fundat, ut plurimum desunt alcali vestigia (1).

Nunc altera duo mihi perpendenda incumbunt principia, pars scilicet butyracea, nec-non portio serosa. Quoad partem butyraceam, oleosam synonymè, de ipsa longiùs differere vanum foret; siquidem consensu unanimi, conelamantibus Chemicis, ad oleorum pinguium classem remitti debet, & meritò; utpotè generalibus cunctis proprietatibus insignitur, ut menstruum renuere spirituosum, ad gradumque bullientis aquæ tantum liquefacere, minimè verò volatilisationem suscipere. Animadvertere ergò mihi sufficiet hanc mediocrem consistentiam quam possidet pars butyracea, ex principio acido esse repetendam: quod quidem acidum in butyro recenti ità combinatur, ut nulla ranciditate ipsius sapor infligatur; quod verò sensibus calor aut vetustas summè obviæ manifestant. An verò hanc mediocrem ob consistentiam è classi genericâ suprâ annumeratâ esset dirimenda? nullatenùs sanè; idem etenim foret de oleis plerisque vulgaribus facillimè per frigus condensationem suscipientibus, dum oleum amigdalorum illud integrè renuit phœnomenum.

Tertium lactis principium superiùs commemorata excipiens, est serositas, in qua triplicem salis speciem, dissolutam saccharum nempe, sal marinum, alcalique fixum vegetabile residere analysis demonstrat chímica. De parte saccharatâ, plures apprimè fuerunt collocuti, undè vocem conterens, ad altera, de quibus tantum & summè transeatim allocutus est D. Beaumé, devenio. Quod igitur ad sal marinum attinet, duo hîc notanda mihi videntur, ipsius scilicèt origo, & in lacte effectus.

[1] *Vid. præstant. tentam. Chémico-Medicum de corpore nutritivo, §. 54. p. 73.*

Quoad originem : an ne ipsius explicatio sat benè deduceretur ex ingeniosis *Margraaffii* experimentis? Hic enim celeberrimus Chemicus ex quâcumque aquâ, etiam pluviali, destillationi subjectâ, tale exurgere productum experimentis fretus manifestavit; porrò ut tali aquâ prata irrorantur, hanc substantiam salinam variis inesse plantis aut corporibus herbaceis, ex quibus nutrimentum depromit animal, nonne sat legitimè inferri valeret? Ad eandem pariter animadversionem attendens, facillimè hujus salis in urinis redundantis præberetur ratio. Quoad effectus hujus salis in lacte quædam nunc tradituri, nempe mediante hoc sale, ipsius accelerari fermentationem acidam existimamus. Etenim plura sunt experimenta, asserente *Pringlio*, quod jam aliundè in *Physica subterranea* notaverat *Beccherus*, quodque singulis coquis innotescit, sal marinum fractâ dosi adhibitum virtute pollere septicâ; constat insuper ex alteris experimentis ab eodem Auctore, nec-non à *Masbridio* prolatis, accelerari etiam fermentationem acidam vegetabilium mediante fermento quodam septico. Quarenàm verò idem in lacte non accideret? Hoc sanè nobis verisimillimum videtur. Equidem verò refert *D. Thouvenel*, *loc. cit.* sal neutrum adhibuisse, ut nitrum, & immoratum fuisse fermentationem lactis acidam; sed nihil nostræ assertioni conformius, & quidem tanquàm antisepticum ac proindè magnâ dosi illud usurpavit; quod in lacte de sale marino diversimodè se habet, id est, minima quantitate contentum, nedùm antisepticam, septicam contrâ vim exercere debet. Quoad alcali fixum vegetabile ab ipsomet *D. Beaumé* detectum, quædam pariter notanda occurrunt. 1º. Hanc substantiam in lacte evolutam non existere innumeris comprobatur experimentis, & ità obviis ut ipsa non referam. 2º. Quod ipsius respicit originem, nil adhuc faciliùs explicandum occurrit, saltem post experimenta ab eodem *Margraaffio* in lucem edita; constat enim aquam quamcumque nitrum in pauca quantitate continere; porrò si ex ingeniosa origine quam de alcali fixo in cineribus maximæ partis vegetabilium contento tradidit jam laudatus *Professor D. Venel*, deducamur, hujus phænomeni rationem facillimè absolvemus. Aliundè lac quod analysi chemicæ subjecit *D. Beaumé*, forsan ex animali plantis nitrois nutrito multum fuerat.

Prætermittis de lacte ipsius tum per acida, cum alcalia coagulatione, ipsius fermentatione, hujus phænomeni ratione, variisque figmentis eorum qui hanc fermentationem ad præcavendam aquis in mineralibus efficax quoddam minerale coexistere principium asseruere, variis pariter omissis quæ ad usum potiùs œconomicum quam therapeuticum attinent, species hujus liquoris animalis aggredior. Totuplicem autem lactis fingi posse speciem, quotuplex rei naturalis à scriptoribus quadrupedum numerus commemoratur, neminem latet. An verò prolem juxtâ diversam, disparibus principiis instituitur fluidum illud? Minimè, cui comprobando non immorabor, utpotè jam collocuto *D. Venel*, (*encycl. art. lait.*) hæc plane innotescit assertio. Animadversioni tantùm subjiciam, 1º. Regio-

nibus in europæanis sextuplicem solummodò in usum speciem advocari, muliebre scilicet, asininum, equinum, vaccinum, caprinum & ovillum. 2^o. Discrimen inter has lactis species repetendum nullatenus ex natura rei, id est, ex principiorum heterogeneitate esse deducendum, apprimè contra ex proportione diversa juxtà quam eorum principiis lac coalescit, quam quidem proportionem hîc non statuam. Ex ista verò lactis analogia, summum fanè circà animalisationem defluit corollarium, id est, ad vim quamdam activam (quæque sit) succos nutritivos convertentem & vivificantem necessariò confugere debemus. Etenim aut per vim menstrualement chimicam, aut per causam physicam fermentationem nimirùm in ventriculo accedentem, hujus analogiæ ratio præberi posset; utrumque verò crassissimâ absurditate corrui. 1^o. Vis menstrualis, nam apud Chemicos principium sequens remanet inconcussum; scilicet suppositâ dissolutione, tunc fluidum ex proprietatibus corporis tum menstrualis, tum dissoluti participat; sic v. g. nullus in dubium revocabit ipsamet aquam sal quoddam viâ dissolutionis continentem, fluidum constituere diversum ab aqua principio mucaginoso imprægnatâ; ergò quotiescumque animal quoddam ex alimentis diversis nutrimentum depromeret, ipsius lac multum principia summè diversa manifestare deberet. 2^o. Ipsamet fermentatio qualis in vitro manifestatur: etenim regula generalior & fermentationis primordialis est annotatum sequens, nimirùm quædam existunt corpora fermentationem spirituosam integrè renuentia, mediatè verò ad acidam aut putridam proclivia; insuper corpora quæ semel fermentationem acidam sibi conciliarunt, ipsam iterùm nullatenus suscipere valent, sed immediatè ad putridam vergunt; ergò animalia, ut canes, lupi, variique populi ut kamchadales, qui plerùmque carnibus putridis vescuntur, lac omnimodè heterogeneum largiri deberent, quod tamen non accidit. Quis aliundè mediante ipsamet fermentatione ex carnibus jam ferè putridis sal ità jucundum, ut lactis saccharum, obtinere posset? Integrè ergò spontè ruentibus tum menstrualis vis chimicæ, tum fermentationis systematibus, hujusce analogiæ ut rationem præbeamus, ad vim vitalem recurrere absolutæ necessitatis est. Altera quoque de lacte à quibusdam agitur quæstio, nempe quarenam majori virtute tonicâ polleant lacticia tum muliebre ac asininum, quam vaccinum & caprinum, &c. hæc verò quæstio non tam extricata nobis videtur, ut ullam partem suscipere audeamus. Lacte chimicè perpenso ad ipsius usum therapeuticum nunc devenio.

EXAMEN LACTIS MEDICUM.

Ut in usum lactis therapeuticum ordinem statuamus, virtutes quibus mirificè pollet segregatim perpendere nobis præcellere videtur; siquidem, semel annotatis, in ipsius dein administrationem facilius & rectius legitimum exturget corollarium. Undè de triplici ipsius virtute, demulcente, increstante, & nutriente colloquens; morbos quibus summè congruum est subnectere curabo.

DE LACTIS VIRTUTE DEMULGENTE.

Quid nomine demulcentis medicamenti intelligatur; utrùm pariter hâc virtute gaudeat fluidum illud animale, agitare vanum sanè omnimodò foret, undè ad indicationes devenio. Itaque virtutem circa demulcentem, delenientem, re tantùm hìc habitâ, 1^o. jam annotantibus *Dioscoride* & *Plinio* (1), in affectibus à venenorum exhibitione causam deducuntibus, saluberrimum producit effectum. Circa verò naturam materiæ venenosæ, & tempus ex ipsius exhibitione jam elapsum, quædam & summi ad praxim momenti occurrit animadversio; nimirum vel de mineralibus, aut corporibus resinosis, vel de quibusdam vegetabilibus, ut solanum, stramonium, &c. quæstio movetur; si prius, palmam sanè referre videtur illud medicamentum, utpote leniens, parietes ventriculi lubricans, partesque resinosas, concurrente principio mucaginoso, solubiles aut saltem succis aquosis gastricisque multùm miscibiles faciens, tunc sublato stimulo, necessariò tolluntur effectus, aut saltem valdè imminuuntur. Si verò de solano aut stramonio, &c. incassum jam exhibito emetico, aut ipsius administrationis tempore jam elapso, phlogosique aliundè ventriculi non obviâ, tunc nonne potius, si *D. Dejustieu* observationibus fides adhibenda sit, ad acida vegetabilia, ut acetum, sacram tanquam anchoram confugiendum est? Hic autem celeberrimus Medicus observavit quòd hæc plantæ prius aceto imprægnatæ impunè devorari possint, id est, quin ullum sanitatis succedat detrimentum. Animadvertere insuper nobis liceat, quòd ab omnibus ferè Medicis, tanquam potentissimum auxilium adversus pravos arsenici effectus habeantur lacticia; sed nonne meliùs & securiùs (inflammatione adhuc non existente) conducere possunt alcalia? siquidem celebri commemorante *Macquerio*, ita combinationem cum alcalicis substantiis sibi conciliat arsenicum, ut sal neutrum, nullâque causticitate donatum coalescat. Quis aliundè modò ut chemicis paululùm imbuatur principiis, summam affinitatem duo inter hæc corpora vigentem ignorare valeat? fatemur tamen quòd ex eis in vitro deprehensis, malè ad praxim concluderetur. Quis verò, usquedum contrarium demonstrent experimenta, hanc suspicionem tanquam verisimilem non habebit? 2^o. Affectibus in arthriticis, summâ tamen præeunte distinctione; id est, modò ut nullus

(1) Imprimis *Dioscorides*, antiquissimus medicinalis materiæ Scriptor, Galeno teste, lib. 22. de mat. med. cap. 77, ita differit: Lac autem recens etiam, efficax est contra rosiones & inflammationes à medicamentis exitialibus factas, uti à cantharide, pityocampa, salamandra, dorycnio, aconito, &c. &c. id quod etiam *Plinius*, *Hist. Natur.* lib. 28, sect. 22 & 23, totidem ferè verbis testatur..... ipse *Hoffmannus*, *dissert. de saluber. feri lacti virt.* testatur se præstantissimos effectus vidisse de exhibitione feri lactis, aut lactis in hypercatharsi tam metuendâ avertendâ, quam præsentì compescendâ, sive fuerit per catharticum, sive emeticum excitata.

viscerum abdominalium coexistat infarctus, & præcipuè quandò ad naturam acidam, irritantem attinere videtur materia podagrica. Etenim quidem fatemur generaliùs collocutum fuisse *Cloptonhavers*, cum materiam arthriticam ad degenerationem tum acidam, cum alcalinam semper esse revocandam asserere non dubitavit; hanc tamen aliquandò obtinere quis in dubium revocare poterit, modo ut ad ea de quodam Pharmacopolo-Chirurgo commemorata oculos conjiciat? (*Vansvieten in aphorif. tom. 4, pag. 257, 258*). Animadvertere verò haud incongruum erit apud arthriticos multum periculi secum inferre diætam lactæam. Etenim quolibet confitente practico, viribus digestivis facillimè subjiciuntur lacticia; cuilibet insuper obvium est, jam prius annotante *Sanctorio*, pari proportione decrefcere vires digestivas, quò minori robore, quò minori stimulo donantur ingesta; porrò si diætæ lactææ assuefacti paululùm à regimine aberrant arthritici, nonne viscerum epigastricorum accedet perturbatio? Nonne detrimentum pati debet coctio? Nonne lethalis materiæ podagricæ metastasis supervenire valebit? siquidem sepulchri anatomici ejusmodi casus plures commemorat Auctor. Unde optimè hîc desluit quod hâc de re scripsit *celeberrimus Mead*; iste enim monet Medicus, ne ætate provectiores & podagram jamdudum passi, strictam illam diætam ex lacte & oleribus tentent; *observavit enim quòd his si non omninò invadit morbus, pro articulis præcordia infestentur, crurumque insuper robore destituti, vitam sæpè in reliquum miseram transigant; juvenes verò qui bis vel ter paroxysmum passi sunt, tentare tale quid posse credit. Imprimis autem suadet illis in quorum familiâ hæreditarius morbus est* (1). 3º. In fluore albo; hic verò morbus ex humorum dissolutione cachexiaque universali, aut ex summa irritatione uteri, annotante *D. Petit*, causam deducere valet. In priori autem casu ipsius sanè usum rejicio: summi verò in posteriori emolumenti videtur alimentum, & præcipuè serum. Aliundè evenit aliquandò ut fluor albus in ulcuscula uteri transmutetur, quæ dein canceri naturam induunt; tunc sanè radi-

(1) Ipse Hippocrates, lib. de intern. affect. auctor est ut in ischiaide primo exhibeatur purgans, & postea lac asininum bibatur: & in eodem libro prodidit „arthritidi confert alvum clystere aut suppositoio solvere, & „purgans exhibere, tandemque serum coctum & lac asininum propinare «..... Plinius, L. C. sect. 9, plurimos lactis usu ab articulari morbo liberatos perhibet; cui assentitur Celsus, lib. 4, cap. 24, scribens: quidam etiam asinino lacte potu in perpetuum hoc malo evaserunt; ex recentioribus *Hollerius, Ballonius, Baglivus, Sydenhamus*, alique plures, lac & maximè asininum, arthriticorum solatium & sacram anchoram, compluribus exemplis esse affirmant..... *Hoffmannus* ipse se præstantissimos effectus habuisse ex lactis usu in iis affectionibus testatur, præterea si ætas sit juvenilis, malum non adeò inveteratum, podagra non fixa ac tophosa. *Dissert. de mirab. lactis asinini in medend. usu. §. 25.*

calis vix speranda curatio, sed optimum tanquam prophylacticum, enemata lacte & guttis anodynis confecta usurpari possunt (1). 4°. In dysenteria (2), sed pariter quâdam cum restrictione, id est, observante Zimmerman, per os exhibitum evacuationes supprimit, ex qua quidem suppressione summa dein subsequitur virium resolutio. Res vero aliter se habet in tenesmo dysenteriam concomitante, in variis ani excoriationibus cathartici aliquandò drastici exhibitionem subsequenteribus, in ulceribusque intestinorum crassorum; quinimò in posteriori casu balsamicis anteponendum est, siquidem substantiæ balsamicæ succis nutritivis ulcusculi parietes nimis defraudantes cicatrificationem prohibent. 5°. In ophthalmiis pertinacibus, in quibus variis pruriginibus instiguntur ægrotantes; ac proinde primordialis affectio est humorum acrimonia; tunc ipsius usus tum internus, cum externus, multùm celebrandus venit; usus, inquam, externus, id est, in oculos injicitur. 6°. In tumoribus inflammatoriis; dolores aliquando atroces sub scopo compescendi, fomentationes aut cataplasmata ipso confecta frequenter adhibentur. Hic tamen adnotare juvat hanc praxim cuidam cautelæ subjiciendam esse: nimirùm quadruhório hæc non solum renovanda sunt, sed etiam lac in usum advocatum prius ebullitioni tradendum est; etenim quid sibi proponit Medicus? Delinire, demulcere, emollire. Porrò his neglectis, nonne contrarius accideret effectus? quidem sanè utpote observante illustrissimo D. Venel, (*Encyclop. art. lait*) lac ebullitionis expers, multò citiùs decocto fermentationem suscipit acidam, quæ aliunde halitibus animalibus provocaretur. Ut verò irritare, stimulare, acidorum proprietas est generalis, nonne gravissima diffluere valerent? Earundem rationum impulsu, tumores dolorifici foventur hæmorroidales; in meatus aurium, viniferum aliquandò injicitur; magnâque dosi epotatur, cum nimiam impressionem in organa urinifera manifestârunt cantharides (3). 7°. In variis morbis cutaneis, ut scabie, herpete, &c. multùm tamen præstare vegetabilia & fructus præcipuè summè maturos libenter arbitrarer. 8°. In hæmoptysi, quotiescumque vasorum pulmonalium per materiam quandam acrimoniâ donatam producitur erosio, cujus

(1) Galenus, lib. X de simpl. medicam. facult. cap. de lacte, asininum lac commendat ad ulcera uteri, renum, &c. &c. Sic Paræus in Chirurgia, lib. 6, cap. 28 saluberrimam & utilissimam efficaciam lacti asinino, experientiâ edoctus, tribuit in his qui cancroso ulcera gestant, ad acrimoniam humorum corrigendam, tam internè ad potum, quam externè ad fomenta usurpato.

(2) Vallesius, Comment. in lib. 2. epid. pag. 193, lactis, inquit, quatuor partes cum aqua duabus mixta, immixtis lapillis ignitis, aut ignito ferro usque ad consumptionem tertiæ partis, sunt magni usus in dysenteria..... Serum quoque lactis in tali casu Baglivus & Sidenhamus mirificè commendârunt.

(3) Epotum lactis serum mirificè proficuum est ad intestinorum ulcera, cæteras cutis asperitates & cantharides. Aetius.

cujus causæ diognosim eruit D. Barry ex genarum, carunculæque lacrymalis colore amæno, & præcipuè ex sputis muriaticis quæ sæpè eliminat æger. In ejusmodi verò subjectis, qui ad tabem pulmonalem rapidè vergunt, qui aliunde summâ pulmonum debilitate laborant, lac corroborantibus associatum, ut plantis aromaticis leviterque balsamicis, tanquàm potentissimum habendum est prophylactium (1). 9°. In tussi gutturali idiopathicâ pèr humorum acrium defluxum productâ, & præcipuè quandò constitutione debili infligitur æger, ac proinde pertimescendum est ne frequentiùs excitatâ tussi vasa disrumpantur pulmonalia, & dein tanquàm hujus affectûs primordialis complementum subsequatur phthisis. Fatemur tamen meliùs hujus praxis stabiliri successum, si ad altera media adhuc confugiamus, id est, ad auxilia hunc humorum revellentia: unde posito quod è superioribus, ut capite, defluat, tunc ad nucam cauterium excellit applicatum. 10°. In ipsamet hydrope, sed summis cum cautelis, undè paululùm hic immorari mihi liceat; igitur hunc morbum ex transpiratione suppressa, ut aliquandò eis qui corpore sudoribus defluente loca petunt frigidissima, accidit; ex vehiculo aquoso diu & abundanter epotato, unde constitutionis generalis subsequitur enervatio; ex obstructionibus viscerum majorum summè induratis, undè absorbentium clausis vasorum hiatibus, serosus latex colligitur; tandem ex viscerum abdominalium intemperie calidâ deduci posse facta tum practica, cum anatomico invictè demonstrârunt. Porro his perpensis, quantum in hoc morbo usus lactis restringi debeat, evidenter patet; cuilibetque notum est tribus in casibus prius annumeratis ferè interdici lacticia: dixi ferè, siquidem optatis hydropicorum aliquandò obtemperantes Medici mirandum obtinuerunt successum: cuique adhuc, casus forsan si præberet, magis assentirer (exceptis tamen obstructionibus confirmatis, summèque induratis). In eo quod serum lactis principio polleat saccharato, & aliundè factis innitatur hydropicum quemdam integrè fuisse persanatum magnam sacchari quantitatem devorando, quod prius multum appetiverat. Ab ista contrindicatione generali forsan pariter excipiendi sunt subjecti qui per usum lactis fluxum urinæ patiuntur; quæ quidem virtus hujus medicamenti diuretica apud quosdam manifestata, forsan æquivalet virtuti lactis camelorum catharticæ, ex quâ saluberrimos effectus, mediante ipsius usu, in hydrope à D. Tavernié observatos quidam deducunt. An verò liquorem hunc animaleum populis orientalibus familiarem ars imitari posset per

(1) Trallianus de hamopyysi, L. C. p. 304, ita habet omnes hamopyyci lacte utantur. Neque enim medicamentum, aut cibus, aut aliud quidsiam adeo accommodum ipsis aut utile quam lac; & qui per initia solo illo constantè, longiori tempore usi sunt, omnes in totum conseruaverunt; porro addit Novi queudam qui cum toto anno lac bibisset & comedisset, & à vino abstinisset, ab hamopyysi & puvis spuo liberatus fuit.

appositionem cujusdam substantiæ salinæ, ut sal marinum, cum lacte vulgari? Suspicor quidem, sed experientia carens nil pronunciare audeo. Quoad autem hanc hydropis speciem cujus causa proxima in viscerum abdominalium intemperie calidâ repetenda est, usum lactis potentissimum tanquam medicamentum admittere nullatenus dubito observationibus *Hippocratis* nec-non *D. Lacase* aliunde fretus, qui hydropes colicis doloribus superventos, mediantibus lacticiniis integrè curasse commemorant. Ex sero insuper lactis vinoso saluberrimos in hoc casu effectus perspexisse refert *illustrissimus hujusce Ludovici Cancellarius D. Barthés*. 11°. In subjectis qui sub veneris castra senuerunt; tunc verò non solum tanquam demulcens, sed etiam ut leviter tonicum, nutriendumque in usum advocatur. 12°. In eis in quibus summa vigere deprehenditur irritabilitas. Quantum etenim mobilitatem imminuere valeant lacticinia, sat illucescit ex quotidianis annotationibus: nimirum montium conspicimus incolas minimâ ad labores aptitudine donatos, maximo torpore afflictos; qui quidem populi è lacticiniis ferè cuncta depromunt alimenta, dum in occitanis, qui quotidie potibus vinosis delectantur, summa deprehenditur hilaritas. Tandem hujusce assertionis veritatem adhuc stabilimus argumento sequenti manifestissimo, nimirum per lactis usum aliquando nimis protractum affectum supervenire melancholicum cuilibet notum est; summâ verò torpedine infligi melancholicos quis dubitat? 13°. In epilepsia, nec non in variis affectibus convulsivis per quædam animi pathemata productis ab *Hoffmanno* multum commendatur, in gratiam suæ opinionis referente quemdam ita factum epilepticum ad pristinam sanitatem, mediante lactis usu, nec non interpositis cathartico mannato, pulvereque anti-epileptico integrè fuisse revocatum. An verò lectori nihil optandum relinquit hæc observatio? Minimè, siquidem anti-epileptica congrua adhibuisse commemorat observationis auctor, ex quibus forsan posterioribus morbi defluxit curatio. Lacticinia tamen in tali casu, & præcipuè serum multum prodesse valere nullatenus negabo: siquidem temperare sibi proponere debet Medicus. Hanc autem observationem integrè conclusivam esse minime concedam. 14°. In febribus acutis, quotiescumque summum vigere ardorem deprehenditur, quæ praxis aliundè apud Batavos valdè celebratur, qui in morbis acutis frequenter hydrogala, id est, lac cum triplici aquosi quantitate præscribunt maritatum; ipsius degenerationem, ipsius corruptionem sub scopo sanè prohibendi, cujus quidem phænomeni ratio facillimè cuilibet fermentationis legibus paululàm erudito innotescit. An autem hæc praxis generale præceptum constituere valet? Minimè: etenim colloquente *Hippocrate*: „aliquid „consuetudini concedendum est, & à multo tempore consueta, etiamsi „fuerint deteriora, insuetis minus turbare solent“: quod aliundè propriis experimentis confirmavit celeberrimus *Stork* de vino in morbis acutis. Porro si quis nunc attendat ad ipsorummet victum Batavorum, nihil ipsi sanè mirandum occurret. Ut autem Provinciis in plerisque Gallicanis,

nedum lacticiinis vescantur incolæ, contrà verò liquoribus fermentatis abundanter fruuntur, res aliter necessariò se habere debet; multum etenim probabile est per alimentum debile, ut lac, in ventriculos excitantibus, corroborantibus assuefactos ingestum, maximam virium digestivarum subsecuturam perturbationem, unde ut securè in febre acuta detentis exhibeatur lac, prius coexistere consuetudinem necessitatis ferè absolutæ nobis videtur. Quod verò ad serum lactis attinet, ipsius administrationi valde assentimur, in eo quòd optimè clarificatum, partibus caseosis butyraceisque ferè integrè spoliatum, tunc degeneratio putrida, nec non nidorosa nullatenus pertimescenda sit. 15°. In scorbuto (1), sed summis semper cum cautelis; id est, ineunte scorbuto, ut maximo torpore infliguntur ægrotantes, per virtutem incrassantem quam possidet, pessimos effectus producere valeret; undè tunc potius usurpanda sunt antiscorbutica calida dicta, ut v. g. juscula brassicâ confecta, quæ, etsi summam ad putredinem ostendant proclivitatem, palmam tamen aliquandò referunt. Ubi contrà hic morbus multum progressus est, calore, humorumque acrimoniâ concomitatur, tunc lac usurpari valet; siquidem hoc medio mulierem quamdam prius antiscorbuticis validioribus incassum usam persanasse refert celeberrimus hujusce Ludovicei Decanus D. de Lamure. 16°. In variolis, & præcipuè serum quod ita frequenter apud Hungaros usurpatur, ut, referente Ficher, variolâ correptis cuncto pro alimento concedatur. Lac insuper hoc in morbo sub forma fomentationum cum erethismo cutis infligitur, summo cum emolumento applicari valet; siquidem imminutâ tensione, faciliùs dein erumpunt pustulæ; tandem fomentationes ipso confectæ & ad crura admotæ, multum adhuc eruptioni favere possunt, humorum anarrhopiam imminuendo (2). 17°. In fluxu hepatico, sed in eo tantum qui ex hujus visceris intemperie calidâ, ut inquebant veteres, provenit; quot etenim mala diffuerent, si obstructionibus foveretur, univique planè innotescit. 18°. In mictu cruento, qui à materiâ quadam acri & vias urinarias corrodente causam deducit. Ex ipsius enim cum aqua calcis associatione saluberrimos effectus quidam observârunt Practici. His positis, virtutem ipsius incrassantem & nutrientem aggredimur.

(1) Sanè si curatiùs paulò præstantissima peritissimorum Medicorum qui de scorbuto ex instituto egerunt, scripta, ut Eugaleni, Brunnerii, &c. &c. evolvimus & lustramus, ad unum ferè omnes candidè fatentur: solâ dietâ lacteâ, vel sero lactis cum antiscorbuticis decocto & diutiùs usurpato, in pessimis, quæ scorbutus importat, symptomatibus, ut doloribus acutis, ventris torminibus, atrophîâ, febribus lentis, se plus præstitisse quàm ullis aliis auxiliiorum generibus.

(2) Per aliquot minuta bis aut ter de die ante vel post eruptionem sic foveantur huxam.

DE LACTIS VIRTUTE NUTRIENTE ET INCRASSANTE.

His dotibus mirabiliter insigniri lacticia tùm à priori, cum à posteriori demonstrari potest. 1°. A priori, etenim corpus mucaginosum quo aliundè, ut jàm diximus, abundanter pollet fluidum de quo colloquimur, verum esse principium nutritivum; nec-non principio terroso, undè virtus coalescit incrassans, multùm conflatu cuilibet sanè notum est Physiologo-Chimico. 2°. A posteriori; quantum enim obstructionibus faveat, quantum rapidè subjectos summâ macilentia inflicto aliquando reficiat, plurimis observationibus, quas hic referre longiùs foret, invictè comprobatur; undè his statutis percelebranda venit hujus medicamenti administratio. 1°. In mulierculis apud quas deficiente succorum nutritivorum quantitate sufficienti, deficiunt pariter menstrua: in ejusmodi etenim subjectis, ut apprimè annotat D. Petit, nutrire omnium potentissimum est emmenagogorum. 2°. In catarrhis pectoris, modò ut urgentiorem ad affectum oculi conjiciantur: etenim conclamante observatione, nisi superveniat coctio, catarrhorum salutaris minimè speranda est terminatio. Ut verò coctionem natura operari valeat, nec majori spissitudine, nec majori fluiditate humorem donari coquendum requiritur; ergò quotiescumque humorum nimia fluxilitas coctioni obstabit, tunc sanè lacticia, nec-non varia incrassantia, ut farinacea, in usum advocari debent; dùm contrariâ ratione indicantur attenuantia in catarrhis per humorum degenerationem spissam, mucosam productis; in quibus ex mercurio per saccharum extincto mirandos effectus perspexit D. Merly. 3°. In pulmonum hæmorrhagiis, quæ à causâ quâdam ut v. g. mechanicâ producuntur: tunc astringentibus lac associatum optimum tanquam consolidans præservativumque habendum est. 4°. In febribus hæcticis sub generali nomine lentarum quibusdam ab auctoribus comprehensis. Ut verò apud medicos multùm hæc quæstio fuit peragitata hic libenter immorabor. Igitur ut res magis affulgeat, segregatim febres lentas sive essentielles, sive secundarias, aut etiam cum læsione quorundam viscerum complicatas suscipiam. Per febrem autem hæcticam essentialem cujus existentia à quibusdam immeritò in dubium revocatur, eam intelligo quæ primariò existit, id est, quæ, si veteribus credendum sit, „ex defectu humidi nativi provenit“; quæ quidem febris frequentius apud eos qui masturbatione abutuntur, observatur. Ut autem in tali casu demulcere, succos nutritivos nunc deperditos reficere primordiales sunt indicationes, lacticia farinaceis bonæ indolis quibusdamque aromaticis immixta securiora & potentiora tanquam habenda sunt auxilia; quod insuper Galenus & Senertus docuisse videntur, & præcipuè Galenus (4. De simpl. med. fac. c. 17), qui de usu lactis in febre hæctica sic colloquitur; » facilis est coctionis, optimi « nutrimenti, ac summam vim habet, substantiam corporis nostri humectandi & reficiendi ». Insuper qui per masturbationis abusum febre essentiali lentâ

lentâ corripuntur, plerumque adhuc ætate vigent adolescenti; ergò minùs à natura recedunt infantili; ac proindè majus sublevamentum ex tali alimento percipere valebunt. Regula etenim generalis sequens statui potest; nimirùm eo securiorem diætam lacteam quominùs ab infantia removemur. Quoad febres lentas secundarias, eas intelligo quæ alterius morbi fiunt complementum; talis est ea febris lenta ægrotantes summè emacians, quæ variolis & morbillis aliquando succedit; tunc sanè saluberrimos effectus lac cortici peruviano junctum præbere solet. Tandem febrium symptomaticarum nomine occurrunt illæ quæ ex vitio quodam cunctam humorum massam infestante, aut ex affectione locali primitiva quorundam viscerum causam deducunt; in priori casu lac specificis associatum, aut si non cognoscantur, cum eis quæ magis ad hanc virtutem attinent, curationem integram absolvere valet: attamen libenter affectus scrophulosos exciperem, siquidem jam in strumarum tractatu annotante celeberrimo *D. de Bordeu*, huic morbo locum præbere videntur lacticia. Ut verò integrè absolvantur quæ de usu lactis febribus in lentis symptomaticis dicenda mihi remanent, ad phthisim pulmonalem devenio. Phthisis autem pulmonalis nomine intelligunt practici hunc affectum hujus visceris, undè febris lenta nec non totius corporis emaciatio gradatim facta sequitur. Igitur ut clariùs pateat quid de usu lactis in hoc morbo sentiam, animadvertam hanc phthisim tum pulmonum tuberculis, tum ulcere jam formato deteraninari posse. Si primum, quantum ex lacticiniorum usu mala dimanare possent cuilibet sanè obvium est practico; etenim in tali casu obstructions debellare, humores attenuare primordialis est indicatio; atqui si diætæ lacteæ affigerentur ægrotantes, nonne contrarius accideret effectus? Equidem sanè, utpotè colloquente *Mortone*, si obstructions patientibus illud concedatur alimentum, hydropes supervenire non rarò videre est. Si secundum, id est, si pulmonum abcessus jam deprehenditur, tunc attendere debet Medicus utrum febris lenta ad supremum gradum evehatur necne; si priùs, tunc sanè minimè congrua sunt lacticia. Etenim ut in diætâ lactea quid emolumenti percipere valeat ægrotans, requiritur optima hujus alimenti in ventriculo digestio; quæ tunc haud perficeretur, undè turbatio summa in organis digestivis; quæ forsan adhuc diarrhæam colliquativam huic morborum generi sat familiarem accelerare posset. Insuper febris ista, ut jam diximus, est symptomatica; ergò si ad supremum urgeat, necessario ulcus substantiam pulmonum jam multùm devastat; porro parietum ulceris humiditas nonne adhuc peraugeretur? Ac proindè magis ac magis cicatrizationem ulcus renueret. An verò nunquam ægrotantibus, ut voluit *D. Raulin*, lac concedendum est? Minimè, & duplici fretus argumento hanc negationem profero. 1º. Rationes quibus inniitur auctor ille antilacticiosus, mihi corruere videntur. Etenim, inquit, » tunc in ventriculo coagulationem » illud sibi conciliat fluidum «; sed illud constanter accidere, ut collocutus est *illustriſſimus D. Venel*, nonne multùm probabile est, modò ut ad ea

in ventriculis juniorum animalium tempore lactationis enecatorum observata oculos convertamus? Insuper adjicit, » apud pulmonicos naturâ » acidâ pollent succi gastrici; «. Sed quid obscurius? Quid minùs comprobatum? Aliundè, etsi res ita obtineret, quid indè in gratiam ipsius opinionis? Nihil: siquidem apud italos, ut faciliùs lactis in ventriculo perficiatur coctio, superepotatur limonata. Aliundè conclamat » lac ità » degeneratum, necnon succi gastrici in massam humorum communem » pervenientes putrefactionem accelerant «; sed quid magis erroneum post observationes saltem à *Pringlio* necnon *Macbridio* de antiseptiis traditas? Insuper nonne puogeniæ obstant varia antiseptica? Quis aliundè ignorat virtutem acidorum antisepticam tum in vitro, cum in corpore humano vivente, invictè comprobatam esse? Tandem, inquit, » si in » phthisi lac à quibusdam in usum advocetur, cum correctivis plerum- » que associatur; atqui alimentum bonæ indolis correctionem non exigit; » de laudabili medicamento nunquam est pertimescendum «. Sed præclara loquendi modus! In febribus acutis per acida corriguntur juscula, ut ipsorum ad putrefactionem imminuatur proclivitas; ergò pessimæ sunt indolis. Alterum argumentum ex observatione depromo; nimirum ex relatis variorum antiquorum, qui eos phthisi deprehensos ad montes ubi adolecebant variæ plantæ aromaticæ, balsamicæque, demandabant, ut lacticiis uterentur. Igitur quotiescumque leviter sæviet febris, tunc lactinia balsamicis necnon cortici peruviano, (quod observante *D. Dehaen*, est antipuriforme) associata quid mirandi operari valebunt (1).

DE SERI LACTIS VIRTUTIBUS.

Antequam seri lactis virtutes immediatè aggrediar, duplex animæ diverso præmittenda mihi occurrit. 1º. Ratione præparationis pharmaceuticæ triplicari seri speciem, vinosum scilicèt, *Hoffmannicum*, & acidulum, quod aliundè posterius spontè aut per artem obtineri valet. 2º. Ferè indiscriminatim lac asinum aut serum lactis vulgare præscribere *Hippocratem*. An verò huic analogiæ à divo sene annotatæ potiùs observationibus quam

(1) *Aretæus* tantum lacti in gravissimo hoc morbo tribuit, ut lib. 7 de morb. chron. non dubitaverit asserere phthificos, si multum lactis potent, nullo alio egere auxilio..... & *Prosper Alpinus*, de medic. meth. l. 8, cap. 7, in exulceratione pulmonum & indè factâ tabe, primò lactis muliebris, deinde asinini, & tandem caprini usum, plurimum commendat..... Rectè enim *Celsus*, lib. 3, cap. 22, tradit: si vera phthisis est, inter initia protinus occurrere necessarium est: neque enim facile hic morbus, cum inveteraverit, evincitur: inter initia verò subjicit: lac rectè dari potest..... De cibo nihil capiat præter debile & tepidum, solammodò carnis vitalinæ & gallinacii pulli decoctum, & potus omnis sit lac cum duabus aquæ partibus immixtum, &c. *Eller. de tabe seu phthisi pulmon. sect. 8, pag. 222, 223.*

rationibus chemicis freti assentiri debemus? Equidem fanè, utpotè serum lactis huic medico cognitum partibus oleosis caseosisque, lacte asinino magis defraudatur. Fateor tamen serum lactis ab *Hoffmanno* usurpatum, antiquis verò integrè ignotum, principiorum quantitatis ratione multum lac redolere asininum: siquidem, in hujus medicaminis præparatione, vehiculi per evaporationem aquosi partes oleosæ cum principio saccharato in contactum proximum admoventur. Ut verò corpora dulcia, in oleorum cum aqua miscibilitate, reali funguntur intermedio; affuso ergò vehiculo aquoso, in ipso suspensa pars remanebit butyracea; cui insuper suspensioni pars favebit caseosa, quæ, ut jam collocutus sum ubi de lactis examine chimico, in quadam quantitate viam dissolutionis suscipit; & ex qua pariter dissolutione, ut seri lactis *Hoffmannici* cum lacte asinino analogia, nec-non cum sero vulgari discrimen comprobentur, novum exurgit corollarium. Quoad serum lactis vinosum, modò anglicano synonymè præparatum, lactis, mediante vino quodam hispanico, per coagulationem obtinetur; undè posteriùs illud inter & vulgare tantum ex principio vinoso quo pollet, repetendum est discrimen. Quod tandem ad serum vulgare attinet, illud sive lac fermentationi propriæ derelinquendo, sive per acida ipsum coagulando obtineri posse neminem latet. Quamvis autem in utroque casu per principia ejusdem naturæ coagulationem suscipit pars caseosa, non minùs tamen in sero obtento, non quidem naturâ, sed quantitate principiorum quoddam coexistit discrimen; id est, serum per fermentationem lactis obtentum majori aciditate donatur, quod nullatenùs mirum. Animadvertam tamen quod serum ex lactis coagulatione per stamina quorundam carduorum proveniens, nullam forsan acidi moleculam contineat; siquidem has substantias principio pollere acido minimè demonstratur. Quânam verò ratione coagulationem suscipiant fluida lactea evolvere fanè non suscipio. Quæram tantùm an, ut protulit *Hoffmannus*, aquæ per acida saturatio hypothesis sit sufficiens & inexpugnabilis: nullatenùs, meo saltem judicio. Etenim grana quædam cremoris tartari hunc effectum producant, idem pariter occurrit de quibusdam guttis acidorum vegetabilium, ut sunt acetum, succus limonum; quis autem saturationem principii aquosi tam in lacte abundantis concipere valebit? Insuper nonne in dictis *Hoffmanni* vera deprehenditur contradictio? Ita fanè, utpote, inquit, per acidum vitriolicum lac non coagulatur (quod tamen, colloquente jam laudato *D. Venel*, integrè corrui). Quis autem summam affinitatem acidum vitriolicum inter & aquam vigentem ignorat? Siquidem concentratum & aëri expositum tantùm aquæ copiam pro conubio sibi conciliat, ut duplici pondere, ac proinde volumine quadruplici peraugeatur. His de sero lactis præmissis, ad ipsius usum nunc devenio. Indicatur ergò in febribus acutis, & præcipuè in ardentibus, in quibus temperate, calorem necnon ardorem febrilem imminuere sibi proponere debet Medicus; in quo quidem casu decoctio tamarindorum in sero lactis frequenter à *Boerhaavio* præscribatur. Insuper ut in hac morborum specie virtutem

ob refrigerantem multum congrua sunt acida, non male forsan serum lactis per fermentationem propriam obtentum & aliunde clarificatum anteponeretur; siquidem, ut jam diximus, eminentiori gradu qualitatem possidet acidam. 2°. In affectibus melancholicis venæ portarum infarctu productis, in quibus diluendæ necnon fluxilitate donandæ sunt materies, ut facilius dein per colatoria congrua evacuari valeant: hæc comparanda nobis videtur seri virtus fructibus horæis aquosis quos abundanter devorandos quibusdam melancholicis imperabat *Boerhaavius* sub scopo humores crassos in vena portarum residentes attenuandi. 3°. Tanquam ad catharsim disponens aut etiam excipiens quorundam cathartorum aliquandò usurpatur. Hic autem annotabo mihi præcellere videri serum lactis modo *Hoffmanni* præparatum, quandò de cathartico resinoso quæstio movetur: siquidem principio mucaginoso sat donatur; aut saltem si serum vulgare adhibeatur; clarificationi nullatenus esse subjiciendum, nam his cautelis facilius miscibile succis aquosis gastricisque principium fit resinosum; ac proinde minus pertimescenda venit tum ventriculi, cum intestinorum irritatio. 4°. In febribus quartanis pertinacibus, quandò per lienis vasorum infarctum foventur: in tali enim casu seri lactis usu diutino mirandos effectus conspexisse refert *D. Senac* (1). 5°. In ardoribus necnon affectibus inflammatoriis, sive intestinorum, sive viarum uriniferarum optimum tanquam temperans, antiphlogisticum à Practicis celebratur. 6°. In scorbuto à clarissimo *Lincl.* multum commendatur; necnon variis aliis in morbis summè convenit, quos hic limitibus coarctus nullatenus referam: annotans tantum præprimis præstare serum anglicum, quandò leviter corroborandi & aliunde aperiendi indicationes, ut in hydrope se præbent.

*LAC ADMINISTRANDI NECNON IPSIUS COCTIONEM
PROVOCANDI RATIO.*

Quantum in me fuit de lacte chemicè necnon medicè jam disserui. Cujusnam verò utilitatis hæc omnia forent, nisi ipsius in ventriculo bona confirmaretur coctio? Etenim talem talemve per virtutem jam enumeratam indicatur illud alimentum, sed nidorosam concipit degenerationem, diarrhæas excitat, vel alvum integrè suppressit; tunc nonne ab usu integrè repudiandum esset, si ab arte nulla nobis suppeditarentur media quibus hæc præcaveri valent incommoda? Hæc sunt quæ in hoc articulo examini subijcere mihi propono; prius tamen de modo ipsum exhibendi simplicissimo colloquens. 1°. Igitur quæritur an ægri constitutioni sit attendendum, equidem

(1) *Werthof* multum etiam commendat serum lactis febribus in intermittentibus quæ à lentis viscerum obstructionibus pendunt; in quo plenas affectioni primitivæ appropriatas leviter incoqui suadet. Paragr. 6, pag. 200, 202.

equidem sanè. Etenim subjectis quibus ita fastidiosum est, ut ipsius aspectu nauseis vomituritionibusque infligantur, illud præscribere omnimodè foret ridiculum. Quantum etenim ex parte animalis necessaria sit appetentia, ut in propriam substantiam quoddam converti possit alimentum, in dubium revocari nequit. 2º. Quænam anni tempestas, modo ut casus non urgeat, eligenda sit: vernalis & autumnalis, siquidem his temporibus plantæ adulescere amant aromaticæ. 3º. An plantis morbo de quo quæstio versatur appropriatis cum emolumento in ægrotantem nutrirî possit animal: nil observationi conformius, utpote his mediis affectus scorbutici, necnon sputa sanguifera integrè fuerunt perfanata. 4º. An frigidum calidumve præberi debeat: hæc verò quæstio integrè ad idiosyncrasiam pertinet; id est, individui consuetudini consulendum est. Attamen unus si supponatur subjectus, marasmo v. g. inflictus ob veneris abusum, qui aliundè, quoquo modo ipsi præbeatur lactis coctionem perficit, tunc calidum, id est, recentissimè mulctum præberi debet, utpote quibusdam afferentibus, majori virtute donatur analeptica, in eo quod aurâ adhuc polleat. Tandem diæta de lactea plurima adhuc agitari valent. Sed de his otia nobis fecit D. Venel. Incommoda autem quæ ex lactis usu aliquando accidunt, sunt constipatio, diarrhæa, ructus acidi, nidorosi, &c. Si primum tunc ad enemata necnon leviora cathartica, ut magnesia alba, cassia cocta, confugiendum est. Multùm insuper in hoc casu collaudantur succi violarum, cherefolii, malvæ, cochlearum exhibiti. Tandem quidam Practici lac partibus anaticis aquæ immixtum commendant. Si secundum, id est, accedat diarrhæa, quidam ferrum rubrum in lacte extinguere præscribunt; plantis pariter cum astringentibus associari valet. Si tertium, id est, ructus superveniant acidi, tunc absorbentia, magnesia alba, aqua calcis felici cum successu usurpantur. Si tandem ructus nidorosi, tunc usui limonatæ libenter assentirer.

ARGUMENTABUNTUR

R R. DD. PROFESSORES REGII.

- R. D. JOANNES IMBERT, *Cancellarius & Judex.*
 R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex.*
 R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*
 R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.
 R. D. CAROLUS LEROY.
 R. D. GASPARDUS-JOANNES RENE'.
 R. D. ANTONIUS GOUAN.
 R. D. FRANCISCUS BROUSSONNET.
Antecessores Regii Veterani.
 R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus, Professor emeritus.*

MONSPELII, apud JOANNEM MARTEL NATU MAJOREM. 1773.



The first part of the paper is devoted to a general
 consideration of the subject, and to a discussion of
 the various methods which have been employed for
 its investigation. It is shown that the results
 obtained by these methods are in general in
 agreement with each other, and that they
 are in good agreement with the results
 obtained by the method of direct observation.
 The second part of the paper is devoted to a
 detailed description of the apparatus used in
 the experiments, and to a description of the
 method of observation. It is shown that the
 apparatus is of a simple and robust
 construction, and that the method of
 observation is of a simple and direct
 nature. The results of the experiments are
 given in the following table, and are
 compared with the results obtained by
 other methods. It is shown that the
 results obtained by the method of direct
 observation are in good agreement with
 the results obtained by the other methods.
 The third part of the paper is devoted to a
 discussion of the results of the experiments,
 and to a comparison of the results with
 the results obtained by other methods. It
 is shown that the results obtained by the
 method of direct observation are in good
 agreement with the results obtained by
 the other methods, and that they are in
 good agreement with the results obtained
 by the method of direct observation.
 The fourth part of the paper is devoted to
 a discussion of the conclusions which can
 be drawn from the results of the
 experiments. It is shown that the results
 obtained by the method of direct
 observation are in good agreement with
 the results obtained by the other
 methods, and that they are in good
 agreement with the results obtained by
 the method of direct observation.

APPENDIX
 TABLE I
 Results of the experiments on the
 diffusion of gases through
 membranes of different
 thicknesses and areas.
 The results are given in
 the following table, and
 are compared with the
 results obtained by other
 methods. It is shown
 that the results obtained
 by the method of direct
 observation are in good
 agreement with the
 results obtained by the
 other methods, and that
 they are in good
 agreement with the
 results obtained by the
 method of direct
 observation.